



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Bona Volvntas Optimæ Consentiens. Seu De Sequendo In Omnibus Ductu Providentiæ Diviniæ

Foullon, Jean E.

Leodii, 1657

VI. Magistra virtutis calamitas.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54992](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54992)

tempestative, aut incendio, quàm aquæ comparetur? Castigationem paternam hîc intellige, inquit Rupertus: *quia sicut aqua visibilis mundare solet sordes corporeas, ita illa captivitas Hebræorum per Assyrios mundavit populi peccata.*

VI. *Magistra virtutis calamitas.* Ephraim, id est frugifer, cùm in possessionibus suis quietus habitaret, bonisque afflueret, à Deo recessit. Ephraim, inquit Osee cap. 9. *quasi avis avolavit.* At verò captus ab hostibus, extorris, pauperie & ignominosa servitute oppressus, ad sanio rem mentem reversus est, Jeremia teste cap. 31. *Audiens audivi Ephraim transinigrantem: castigasti me, & eruditus sum, quasi juvenculus indomitus.* Juvenculi lascivientis, & avis avolantis, columbæque seductæ instar erat Prodigus Evangelicus, quem pauperies & fames jugo assuefecere, & ad paternam domum reducere. Exituris ex Ægypto Israëlitis non modò mare miraculo patuit, sed etiam visus maris alveus exhibere hortum floriferum: ita Sapiens innuit cap. 19. *In mari rubro via sine impedimento,*

& campus germinans de profundo nimio.
 Hæserè nihilominus Israëlitæ dubiū, an
 tale invitamentum sequerentur, ut notat
 Glossa in Psalmum 105. *Et irritaverunt
 ascendentes in mare rubrum.* Donec à
 tergo incubuit Pharao, & terrore impu-
 lit dubitantes. Prosperitate invitat suos
 Deus ad terram promissam: sed hærentes,
 & Ægypti adhuc memores, imminente
 & irruente à tergo Pharaone, id est, ca-
 lamitate aliqua. repentina urgentur, reli-
 ctóque vitio transeunt ad virtutem. Ita
 Augustinus libro 1. contra Academicos
 ait, Romanianum Licentii patrem, cum
 fælix esset, non auditorum fuisse, si quis
 eum ad æterna invitasset: nunc ad illa
 ultrò adspirare, miserias expertum.

VII. Chrysostronus homilia 62. ad
Idem de- populum Antiochenum, ex illa
claratur. Ecclesiastæ sententiâ cap. sept.
Melius est ire in domum luctus, quàm in do-
num convivii, domos duas describit;
 unam, ubi nuptiæ celebrantur, alteram,
 ubi exequiæ. In illa ingluviem, intem-
 perantiam, insana tripudia, verba lasciva,
 alia-